



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Quanta sit magnitudo, ac sublimitas animæ religiosæ. Cap. xv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

Ephes. 4. 13.

robur & fortitudinem transit. Etate prouehitur: nam à puerilitatibus sæcularibus eductus, & in senium senilem introductus, occurrit in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi.] Verè igitur, o anima religiosa, tamquam germen agri multiplicatam dedit te Dominus, & multiplicata es, si quidem in initio conuerſionis tuæ, repente & fere sine vilo labore ad tantam amplitudinem ascendisti, & in possessionem tantarum opum admissa es, vt præ amore illarum diuitiarum, mundum vilipenderis, & vniuersa, quæ in sæculo splendent, non corpore tantum, sed multò magis animo, deserueris.

Quanta sit magnitudo ac sublimitas anime religiosæ.

CAPVT XV.



ON hic finem habent, o anima religiosa, tibi data beneficia Dei, sed postquam donis gratiæ, & auxiliis diuinis es multiplicata, nequaquam vilis & pusilla remansisti; sed grandis effecta es. Grandis dignitate, grandis viribus, grandis & merito. Et quidem de dignitatis magnitudine, postea dicemus, nunc verò virium & meritorum magnitudinem inspiciamus. Virium autem magnitudinem voco robur animi, parua despicientis, & vilia conculcantis. Quis autem hanc religiosi magnitudinem intelligit? Quis hanc granditatem explicare sufficit? Quis rogo maior est, qui diuitias appetit, an qui contemnit? Qui dignitates ambit, an qui despicit? Qui regnum concupiscit, an qui conculcat? Quis maior est, qui superbia elatus cum Lucifero intra semetipsum dicit: Ascendam super altitudinem nubium,] an, qui humilitate depressus, omnia, cum Paulo, arbitratu stercora, vt Christum lucrifaciat? Non dubium, quin incomparabiliter maior sit magna mundi contemnens, quam concupiscens, quoniam iste rebus aspectu magnis, re vera paruis, seruit, ille imperat: iste eas suspicit, ille despicit: iste sequitur, ille fugit: iste rebus caducis se inferiorem, ille se superiorem agnoscit. Et, vt rectè inquit Chrysostomus: Magna re vera est anima, si affectioni non seruit.] Illa autem suarum affectionum serua non est, quæ rerum labentium amore non tenetur, neque earum illecebris inescatur. Magna sanè est anima, quæ, nec honoris vento & auræ popularis distenditur, nec voluptatibus ac deliciis impletur, nec rerum temporalium abundantia satiatur, sed solus Deus, incomprehensibile vtique bonum, eam replet, ac saturat. O quanta magnitudo solum Deum querere, solum appetere, solo Deo expleri posse, & alia omnia tamquam arida alimenta, & quæ sustentare non valent, auersari!

Sed hanc miram magnitudinem cum ipso religioso statu conquiret, quisquis verè & ex animo ei seipsum addixit. Est enim status hic, qui ab omnibus rebus mundanis abhorret, & sæculum præterit, atque contemnit. Est, qui sola cœlestia appetit, & Dei conspectum & possessionem concupiscit. Est, cui dictum est in Numerorum libro: In terra eorum nihil possidebis, nec habebis partem inter eos. Ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Israël.] Quia licet aliquem censum, & aliquos

Isai. 14. 14. Philip. 3. 8.

Chryf. bō. 48. in Apōst.

Nūm. 18. 20.

agros pro victu fratrum in cōmuni possideat, quifque tamen illorum omni abdicato rerum temporarium dominio, & solo tenui vsu rerum vilissimarum contentus, sine quibus minimè vita mortalis transigitur, ad summum bonum tantum anhelat, dicens: Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.] Homo igitur in hoc statu constitutus, si tamen non contradicat, & suauiter cooperetur gratiæ Dei, vires & neruos acquirit, vt Pontificum infulas fugiat; Regum diademata rideat, nobilium luxus, gemmas, & pretiosa ornamenta subfannet, potentum diuitias detestetur: & his omnibus rebus spretis, summam filiorum Dei dignitatem ambiat, & sanctitatem, Dei que amicitiam, & familiaritatem suspiret. Hic est profectò magnus, qui magna optat, eximia & ingentia, scilicet diuina bona exquirat, parua verò, nimirum vniuersa temporalia pusillis derelinquit. An aliquis tam stultus est, qui magnum putet, quem formicæ & culices magnum existimant? Sed ille magnus corporis mole putabitur, qui giganti comparatus, meritò magnus vocatur, & illo non inuenitur inferior. Ita prorsus non magni sunt nobiles, non magni sunt illustres, & potentes sæculi, quos paræ formicæ, & minuti culices, imperitum scilicet vulgus, & mundani homines, magnos iudicant; sed magni sunt humiles, magni sunt spiritu pauperes; magni sunt mundanarum rerum contemptores, magni sunt Deum amantes, & venerantes, quos filius Dei, magnus vtique gigas, qui exultauit vt gigas ad currendam viam, magnos existimat.

Hi sunt ad instar Ioannis, magni coram Domino, qui vinum, & siceram non bibunt, & spiritu sancto replentur adhuc ex vtero matris suæ, & multos filiorum Israël conuertunt ad Dominum, Magni quidem coram Domino, nam si magni sunt in Scripturis diuinis (teste Origene) iusti, qui non transgrediuntur mandata Dei;] quantò maiores erunt, qui perfectæ mandatorum custodiæ adiciunt multa non debita obsequia, ad quæ, non præceptis impelluntur, sed igne charitatis incitantur? Magni coram Domino, quia sicut Magnates regni, coram summo Rege caput operiunt, non pisco, sed corona, nam cum sederint in circuitu sedis Dei circumamicti vestimentis albis, in capitibus eorum erunt coronæ aureæ.] In cuius signum modò caput radunt, & in modum coronæ detondent, vt hæc corona sit futuræ glorificationis insignæ. Vinum etiam & siceram non bibunt, quia curas sæculares, & mundanas voluptates nequaquam admittunt. Quid enim per vinum (inquit Beatus Gregorius) nisi cura temporalis exprimitur, à qua mens sæcularis cuiuslibet inebriatur vt ad inuisibilia cognoscenda, aut ex toro, aut penè insensibilis reddatur?] Et quid per siceram, nisi dulcedo & voluptas carnis intelligitur? Nam siceræ (vt Theophilus Alexandrinus ait) est succus dactyli.] Sed hoc vinum, & siceram isti magni respuunt, quia non puerorum lacte, infirmorumque solatiis: sed perfectorum pane, diuinis scilicet consolationibus, reficiuntur. Quòd autem Spiritu diuino replentur, adhuc ex vtero matris suæ, ex his, quæ superius diximus, euidenter liquet. Nam ex quo copia mater religio in suo gremio suscepit, Spiritus sancti præsidis abundant, & gratiæ donis repleti sunt. Hi tandem, non tamquam priuati milites pro se ipsis tantum militant, sed sicut fortes & generosi duces alios Diaboli laqueis eripiunt, ad Dominum conuertunt, & in viam virtutis

Psal. 72. 26.

Psal. 118. 6.

Luc. 1. 15.

Orig. hom. 12. in Le. iii.

Apō. 4. 4.

Greg. in Cant. c. 1.

Theoph. lib. 3. allegoriarum in Euang. 64.

Orig. 16
25. in 134.
mer.

adducant. De quibus illud Origenis intelligi potest: In populo Dei esse quosdam ita robustos fide, armatosque virtutibus, vt aduersus huius mundi hostes quotidie bella conficiant, & semper in procinctu positos, non solum semetipsos, sed ceteros, qui per lexum, vel per atatem, vel per feruitutis conditionem, pugnare non possunt, ab hostium tueantur insidiis, verbo doctrina eos, exemploque vita, & commotionum sedulitate munientes.] Et non incongrue ista religiosis dicimus conuenire. Illi namque sunt (si qui alij) fide robustissimi, qui imitantes innocentem Abel, plurimam hostiam, id est, tum omnia sua, tum seipsos obtulerunt Deo, & nihil sibi metipsis referantes, sed omnia relinquentes, suæ magnæ fidei testimonium perhibuerunt, quia in aliam vitam semper mansuram oculos coniecebant, quam omnium rerum mundanarum pretio, & sui ipsorum oblatione mercati sunt. Illi sunt virtutibus instructissimi, quas non communibus operibus querunt, sed magnis atque extraordinariis assequuntur, & ad sui cordis domicilium habitandum alliciunt. Quibus armati, & seipsos à vitis, & peccatis, cooperante Dei gratia, liberant, quorum tyrannidi subiacabant, & proximos suos, vita & doctrina à tendiculis inuisibilibus hostium defendunt.

Isti re vera magni sunt, nam si tu magnos vocas, quos aliqua dignitas, aut excellentia temporalis illustrat, quos opum, & possessionum, & subditorum copia nobilitat, quos sanguinis, aut generis claritudo magnificat: cur non potiori ratione magnos reputabis, quos amplitudo sanctitatis, virtutum ac donorum caelestium copia, & filiorum Dei splendor exornat? Si tu magnos existimas eos, qui magna concupiscunt, & qui amplissimas reipublicæ dignitates ambiunt, & obtinent, cur non magnos existimabis eos, qui non inter vilissimas mundanorum turbas, sed inter sanctos & amicos Dei, supremum honorem, scilicet Dei conspectum, & familiaritatem exoptant? Hi pro fidei magnitudine (ait Bernardus) digni inueniuntur, qui inducantur in omnem plenitudinem, neque est omnino in omnibus apothecis sapientiae, à quo Deus scientiarum Dominus arcendos censeat cupidus veritatis, vanitatis nõ conficios. Talis erat Moyses, qui audebat dicere Deo: Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi te ipsum. Talis Philippus, qui sibi, & suis condiscipulis patrem flagitabat ostendi. Talis & Thomas, qui nisi sua manu tangeret vulnus, & fossam latus, credere recusabat, pùhlla fides, sed de magnitudine animi, miro modo, descendens. Talis quoque David, qui & ipse dicebat Deo: Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiritam.] Tales itaque magna audent, quoniam magni sunt, & quæ audent obtinent, iuxta verbum promissionis ad ipsos, quod est istiusmodi: Quicumque locum calcauerit pes vester, vester erit.]

Satis profecto ostendunt, se magnos esse, qui magna & eximia huius vitæ bona, quæ principes sæculi diligunt, & cupiunt, & magnis laboribus assequuntur, nimirum, diuitias, honores, & voluptates, ipsi pedibus proterunt, & tamquam vilissima fugiunt, atque alia maiora, & sine vlla comparatione præstantiora quarunt, scilicet, bona caelestia & opes magnorum meritorum, numquam perituras, honores filiorum Dei in perpetuum duraturos, delicias spiritus, quas caro & sanguis non percipit, concupiscunt. Magnanimus certe ille dicitur, qui cum magna & mirabilia operetur, magnos tamen honores operibus magnis debitos, si non offerantur, non curat, & si offerantur, pro nihilo ducit. Religiosi er-

go, magnanimi sunt, qui sine vlla dubitatione magna patrant, & pro eis non mundanos honores, sed Dei beneplacitum, & sui virtutem perfectionemque procurant. Magna enim sunt sola virtutis opera, qualia sunt, peccatorum non infamis, sed gloriosa fuga, rerum secularium contemptio, affectuum repressio, humilitatis, sobrietatis, patientiæ, & aliarum virtutum studium, rerum diuinarum contemptio, & reliqua, quæ mentem perfecte subdunt legi Dei, & ab omni labe vitiorum expurgant. Quare à Salomone dictum est: Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.] Melior, id est, maior, atque præstantior. Hæc autem omnia, vitæ religiosæ professores, non vtrumque, sed absolutissimè expleunt, qui in hunc finem, quæ mundus magna putat, reliquerunt, & his magnis virtutis operibus se totos consecrarunt. Et tamen hæc, non ad consequendas dignitates, & prælationes referunt, non in desiderium laudum humanarum, & inanum honorum deiciunt, sed ista vniuersa, quæ tantopere apud homines fulgent, nihil reputantes, tum propriæ perfectioni consulere, tum soli Deo placere student. Audi vnum, quem isti omni contentione sequuntur. Neque enim, aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, Deus testis, est, nec queentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. Si igitur hi magna faciunt, & magnum honorem mundi contemnunt, magnanimi sunt: quòd si magnanimi, & magni, cum hominis magnitudo, non in mole corporis, sed in mentis dignitate ac præstantia consistat.

Anima igitur religiosa grandis est, grandis profecto viribus, quæ tot rerum mandarum funibus illigata, irruente Spiritu vocationis Domini, velut Samson, omnia hæc vincula rupit, quomodo si rumpat quis filum de stuppæ tortum putamine, cum odorem ignis acceperit, & tam robustos hostes, non multis diebus à seipsa abiiciendo, prostrauit. Verum istæ vires non sunt propriæ, & naturales animæ, sed à Domino liberaliter attributæ: si enim non possumus sine gratia, sanctas cogitationes, aut desideria concipere, quantò minus sæculum vincere, & à talibus nos catenis, ac compedibus expedire? Sed sufficientia nostra ex Deo est.

Est etiam anima religiosa grandis merito. Nam sicut, qui parca seminat, parca & metet, ita qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.] Cum ergo hæc in benedictionibus seminet, id est, solertissimè in opera virtutis incumbat, quis dubitet eam in die messis, atque in fine vitæ copiosissimos meritorum manipulos habituram? Meritum auget charitas: Quod autem est maximæ charitatis indicium, nisi propter Deum, mundo mori, & tamquam mortui à parentibus, à consanguineis, ab amicis, ab opibus, honoribus, & deliciis separari, & hoc prolixum martyrij genus subire? Auget & obiecti præstantia. Sed quod excellentius obiectum eo, quo religiosus, quidquid est, quidquid potest, quidquid valet, Deo in holocaustum offert, & non tantum sua, verum seipsum liberalissimè tribuit? Auget & quantitas operis. Sed quod maius opus, quàm seipsum abnegare, & pretiosissimas gemmas proprii sensus ac voluntatis, alterius hominis iudicio ac voluntati subiicere? Auget operum multitudo: Quæ autem maior bonorum operum copia, quàm religiosi, cuius vita velut aurea quædam catena, annulis operum bonorum à primo ingressu vsque ad finem vitæ contextitur? Auget & difficultas. Sed quid difficilius, quàm semper

Prov. 26.
32.

1. Thim. 2.
5.

2. Cor. 9.
6.

sensus

Bern. ser.
32. c. 1.

Exod. 33.
11.
Ios. 14. 9.
Ios. 20.
25.

Pf. 26. 8

Dem. 11.
24.

sensus comprimere, affectus cohibere, propria desideria negare, corpus atterere, & crucis mortificationem, sine intermissione deferre? Auger tandem magnus operandi conatus. Sed ubi maior, quam in religiosa vita reperitur? in qua ex assuetudine bene operandi, quotidie augetur, & crescit. Anima, quae ex tot cautis, & tā praecipuis, cumulos bonarum actionum multiplicat, magna erit merito, neque in communi pusillitate tepidorum persistet. Nondum certe apparuit, quid erimus; sed cum Christus apparuerit, iustus agonotheta, omnibus iuxta suos labores praemia decernens, tunc similes ei erimus. Quia non tantum in numero amicorum fidelium, sicut communes iusti, sed inter charissimos Dei filios computabimur, qui Christi, id est, fratris maioris vestigia sequuti, eius exornamur insignibus. Nunc tempus laboris est, & ut inquit Aggeus, nec dum semen in germine est, & adhuc vinea, & ficus, & malograna tum, & lignum oliuae non floruit. Quia nec charitatis ad Deum, nec deuotionis interna, nec concordia cum fratribus, nec misericordia ad proximos, merces apparet. Sed ex die ista Dominus benedicit ut magnis in magna operantibus, & magna patientibus, in futura vita, magna praemia retribuatur. Quicumque ergo in sanctum religiosorum certum admittis fuisti, & tua siue multa, siue pauca dimisisti, modò affectum habendi reliqueris, ad hanc magnitudinem virium, quae in saeculi contemptu conspicitur, vocatus es, & ad hanc granditatem meritorum, quae ex tot bonis operibus nascitur, es etiam inuitatus, si tamen opere exhibeas, quod statu praefers. Quòd si tibi adhuc, o anima religiosa, sub habitu humilitatis constituta, hunc animum inesse non conspicis, quo vniuersa mundi ornamenta, & oblectamenta contempnas, & sine vlla intermissione perfectionis operibus vaces, nihil te in via perfectionis noueris profecisse. Gemo igitur in conspectu Dei tui, plora, instanter pete, in hanc amplitudinem tui status dignam admitti; enterere rerum labentium vilitatem agnoscere, & earum despectionem comparare, ut & tu, sicut & tui sodales, & commilitones, merearis audire, Quoniam multiplicata es, & grandis effecta es.]

1. Ioan. 3. 2.

Agge. 2. 20.

Ezec. 16. 7.

Quanta sit tranquillitas animae religiosa.

CAPVT XVI.

NE M O est qui non pacem amet, requiem exoptat, tranquillitatem desideret. Est enim interna tranquillitas non minima pars felicitatis. Ac proinde, sicut naturalis est status felicitis cupiditas, ita suapte natura ducimur ad appetendam requiem animi, mentisque tranquillitatem, sed non omnes eam inquirunt, ubi quaerenda est. Quaritur in rebus exterioribus, in expletione appetitus, ac propriae voluntatis: cum tamen ipsa non in his, sed in vera mortificatione, & in conclauis proprii cordis consistat. Haec enim appetituum cohibitio nos multis curis liberat, & ad vera & numquam peritura bona mentem attollit. Quae, qui appetitui, & prauae concupiscentiae seruit, citra dubium insipienter amittit. Quare animae concupiscentiae seruienti, merito apud Isaiam dicitur, Ut descendat, & sedeat in terra, quia non est solium filiae Chaldaeorum. Huic (ut inquit Gregorius) apte per increpationem dicitur diuina voce, descende, in alto quippe humanus animus stat, quando superanis retributionibus inhiat, sed ab hoc statu descendit cum turpiter victus sese defluentibus mundi desiderijs subiicit. Cui bene mox additur, sede in

Isaia 47. 1.

Greg.

A puluere. Descendens enim, in puluere residet, quia caelestia deserens, terrenis cogitationibus aspersus, in infimis vilescit. Proprij autem cordis introitus hominem clamoribus rerum mundanarum eripit, & in quamdam ineffabilem pacem perducit. Nam regnum Dei non est esca & potus, sed iustitia, & pax. Hoc autem regnum Dei, in quo regnat pax, intranos est. Hanc pacem proprii cordis, qui numquam expertus est, eius absentiam non extimescit. Quid enim doleat natus caecus, & qui videndi facultatem aliis inesse penitus ignorat, quonia caecus natus est, & colores non percipit, quos, nec in rerum natura esse quidem agnoscit? Qui verò aliquando pacem est adeptus, nihili magis dolet, quam eam amittere, & a tranquillitate mentis exturbari. Hoc summam calamitatem putat, ab intimo cordis in externas distentiones contumeliose eieci, & ab ore sponsi illam tremendam vocem audire, Egredere, & abi. Quae enim anima (ait Bernardus) semel a Domino didicit, & accepit intrare ad seipsam, & intimis suis Dei praesentiam suspirare, & querere faciem eius semper, nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri, horribilius poenaliusve ducat, quam post spiritualis studij huius gustatam semel suauitatem, exire denuo ad illecebras, vel potius ad molestias [carnis, sensuumque inexplebilem repetere curiositatem.]

Hunc autem ingressum cordis, ubi inuenitur pax, o anima, religio sancta ex ipso mundi contemptu, ac bene perfecteque operandi consuetudine, abunde suppeditat. Vnde postquam contemnendo omnia, grandis effecta es, subiungit Dominus per eundem prophetam, Et ingressa es. Qui aliquam domum, vel urbem odia habent, statim, ut possunt, eam deserunt, & aliam commodiorem, & sibi magis gratam habitationem inquirunt, quam inuenientes, cum magno gaudio occupant, & cum exultatione frequentant. Sic anima, saeculi iniquitatem fugiens, & commorationem abominans, statim aliam domum quarit pacificam, in qua tranquille habitet, & placide vitam traducat. Inuenit autem cor suam domum utique quietis, & pacis, illud que ingreditur, & ab omni strepitu curarum aliena, cum Rege, & Domino suo Christo, secus pedes eius manet, secura. Ibi tamquam sedula apis in alucrio suo fauos dulcissimarum cogitationum fingit, & sicut formica diligens, congregat in horreum suum grana sanctorum desideriorum, quibus se ipsam reficiet, vitamque spiritualem sustentabit. Hic iucundus ingressus religiosus promissus est, cum auertit vocem Domini, sibi per Ieremiam dicentis, Conuertimini filij reuertentes, quia ego vni vester, & assumam vos vnum de ciuitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion. Illi namque sunt filij reuertentes, qui a peccatorum, & vitiorum feciditate, in quam inipientes abierant, in domum Domini, id est, in spiritualem vitam, sapientes reuertuntur. hic autem reditus, ut pretiosior habeatur, nec omnium est, nec propria virtute perficitur. Opus est Dei, qui vocauit paucos, comparatione multorum, & assumpsit vnum de ciuitate hac, & duos de cognatione illa, prout sibi placuit, ut introduceret eos in Sion, hoc est, in secteta cordis proprii, ubi accipiunt pastores iuxta cor Dei, in quibus caelestes illustrationes, & afflatus intelligo, qui pascunt eos scientia, & doctrina. haec cordis habitatio iucundissima est, in qua homo magna quiete, & tranquillitate perfruitur. Quid enim tranquillius caelo? sed corda iustorum caeli quidam sunt, quorum Deus ipse incola, & habitator est, & qui in proprio corde per sanctas cogitationes habitat, comes, & cohabitator est Dei, & commune cum eo domicilium

Rom. 14. 17.

Cam. 1. 8. Bern. ser. 35. in ca.

Ezec. 16. 7.

Ierem. 3. 14.

Ibidem 14

& ha